34-7-B-8-1

SANCTISS. AC SAPIENTISS.
Archiepiſcopi Theſſalonices, Gregorij Palamę, Proſopopœiæ, i. ex habitis per fictionem perſonarum orationibus, ſtilo mixto, dialogico & maximè iudiciali, cõfirmatio, Quid mens in iudicio contra corpus cõtendens coram iudicibus, dicere poſsit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Protheoria ſeu præmeditatio cauſæ:

ANIMI partis vtentis ratione diſcrimen, quo à ratione carente & patibili differt, veterũ aliter alij atque alij declararunt: quidam equorum ferocium bigis iraſcẽtem & concupiſcentem animi partem ſimilem facientes, aurigæ ratiocinantem: quidam venatori viro ratiocinantem, equo cui inſidet concupiſcentem, cani adiutori iraſcentem comparantes: quin etiam locorum diſcriminibus ſeiũ gentes, rationem vt principem in cerebro, tãquam in arce ſumma, è propinquo quaſi ſatellitio ſenſuum munitam ac defenſam: iram in corde, cupiditatem in iecinore collocãt. Eximię verò ſapientiæ Apoſtolus, eui dentius animi partem rationis participem ab experte diſtinguens, illam ſpiritum & interiorem hominem: hanc carnẽ & exteriorem hominem appellat: deinde
» contrarietatem earum patefaciens, Cerno, inquit, al-
» teram legem quæ in membris meis eſt, repugnantem
» legi mentis meæ, & captiuantem me ſub legem pecca
ti. Orationes autem quas corpus & mens ſeu ratione

vtens,& patiens animi pars,vicissim habuerũt,exiliter admodum Stoicus Cleanthes est commentus, sic eas faciens loquentes, Quid anime vis factum tibi,mihi " indica. Quicquid fieri,ô ratio,desidero, Id regiũ " planè est. Quidam etiam ecclesiæ sapientum doctorum,iamborum scriptor, ait alicubi, Tibi quid " exoptas fieri, Mentem meam soleo rogare: Vís- " ne Gygis,res has & illas? Nos verò in iuueniliori quo- " dã dicẽdi genere huiusmodi insistẽtes, ad iudicialem formam dialogi rationẽ protendimus, & vt rei species honestior & æquior esset, iudices assidẽtes cõstituimus:ac partes accusatoris animus rationis particeps,defensoris corpus tenet.hæc enim cum ficta quædam de scribenda sunt permittuntur.Nec quispiam nouitatis crimen inferat orationi,haud nescius quo pacto & ad imaginum,& ad personarum figmenta,sophistarum ac declamantium meditationes prouectę sunt. Quòd aùtem assumptiuus status sit,agnitu non est ei difficile qui in ciuilibus quæstionibus exercendis & meditandis aliquandiu versatus est: potius intelligendum est, cum argumentum grauem sententiarum materiam suppeditaret(sæpe enim morum rerúmque naturæ cõ templationem attingit)nos tamen quoad licuit,via ra tionẽque artificiosa,re ad ciuiliorem stilum reuocata, ad iudicialium orationum speciem accommodasse. Quòd si per omnia assumptiui generis capita hę non procedant orationes,nihil mirum: nam nec in omnibus alijs argumentis omnia incidant necesse est.

97

hæc quæ præmeditari oportuit, hoc modo præmeditata sint.

DECLAMATIO ASSVMPTIVA.

SI APVD alios qui non intelligerent accuratè quam patior contumeliam ab hoc mecum coniugato corpore, hoc præsens certamen instituerem, mihi ipse facescerem, illísque cõflarem negocia, nimirum ad rẽ pertinere ducẽs, si singulatim ea quibus me malis onerat hęc mihi contubernalis calamitas, exponerem: verum cùm apud vos omnium virtutum cultores, mihi quantam passus sim iniuriam diuina prouidentia vt id facerẽ concessum sit, qui hoc ipso quòd cum eo luctati periculum fecistis, manifestum dicendorum argumentum præcepistis, nòn admodum mihi videor operosum aut alioqui molestum futurum vobis tale certamen aggressa. Satis enim est breui quadam oratione percurrisse, & duntaxat in memoriam vobis reuocasse, quas mihi solet vitiorũ impressiones & occasiones exhibere, indéque vt suffragia feratis postulare. Itaque paululum vestro in rebus diuinis contemplandis intermisso studio, audite me, per vestros vos obtestor, virtutis ergo & multos & magnos sudores, & iuré ne meum corpus reprehendam, necne, vt arbitri iudices iudicate, nę posthac inter nos dissideamus atque discordemus, sed intelligamus vtrum nostrum alterum afficiat iniuria. Nã, quod miserabilius est, præter conuitia quibus insolentius in me debacchatur, etiã

eorum quę immerito indignéque patior, me auctorẽ cauſámque facere non veretur. Iam verò progreſſura ad ea oratione explicanda quę contumelioſe contra me audet, nihil incommodius factura mihi videor, ſi paulo altius initium ſumam.

Ego, viri beatiſsimi, genere diuina ſum, & è ſuperna illa nobili proſapia originẽ duxi, vt quę ſim dei ſpiraculum & imago primaria, omniúmque terrenorum regina. non enim de me hęc magnifice prędicare verebor, tantum ne oſtentare mea videar apud vos alioqui magniloqua, qui probe noſtis ac in honore meam habuiſtis coluiſtís que dignitatum amplitudinem. Poſtquam enim illa quæ noſtri primariũ exemplar eſt bonitas, ad bene faciendum ſuo ingenio apta, mundũ intelligentem & ſub intelligentiam cadentem, hócq; cœlum vniuerſum, & quorum capax cœlum eſt, procreauit, tãdem in compendium contulit, in vnámque temperationem & molitionem, velut in craterẽ quendã contraxit rem vnã omni genere rerũ mixtã, & multipotentem, id nimirum quod & dicitur, & eſt homo. Hinc ego intelligens & immortalis cum ſenſili & mortali colligata ſum, & cœleſtis cum terreno copulata, & cum ancilla hera: quibuſnam rationibus ita deo viſum neſcio: fortaſsis vt ambo ſimul eodem ad officia virtutis exercenda iugo hęrentia conſpirantiáque, alterius alterum natura frueremur: illud, vt præſtantioris conſpiratione nobilitatum, & communicatione cum immortali deguſtata, immortalitatem ſuperin-

dueret: ego hac cum deteriori copulatione, tanquam cippo reflexa, modice de me sentiẽdo, & gloriatione de imaginis dignitate cohibenda remittendáque, & non superbiendo, & à deo, vt primus Lucifer, deficiẽdo, sed potiꝰ humiliter & demisse sub eius manum validam me subijciẽdo, ita deo adhærerem ego, mihi corpus, neque pusillum quidem aut ego à vitam præstante causa, aut hoc à me animante abduceretur. Ista rationes opificis reputantes, non linum lino, sed semper se mouentẽ cum aliunde moto, & simplicem cum iuncto permiscẽt & implicant. quid enim ab illis innumerarum rerum potentibus cõnecti nequeat? Ac quæ ab ipso statim ortu incommoda subiui, non est huius temporis de his tragœdias excitasse. tantum date mihi vt ea paucis deplorem. Simul ac cum hoc mortali coalui, ac antequam fœtus vitam accepit, in vtero cum sepulto vnà sepelita, & velut in duplici spelunca Sarrę mortuę cadauer Abraam sepeliuit, ita & ipsa duplici monumento infodior. nam ex sapientum sententia, si corpus est meum sepulchrum: id verò in vtero tumulatur: quid ni duplici loculo, fœtu quem embryon vocant, & vtero cõsepelior? talibus me complexu suo primum receptã & amplexatam amicum corpus excipit humanitatis officijs: talibus hospitijs & fœderibus prehensam accipit. Quę vero posthac succedunt? germana, vt aiunt, & eodem colore contacta, ex eadémque arte figlina, siue natura fingente. Illinc enim quasi è tumulo prodeuntes vnà sepulti,

vterino quidē ſepulchro defungimur:ego vero in cor poreo etiamnum inſiſto hæreóque. Atque veluti eiuſdem vitæ facta inter miſeros coemptione, calamitoſam vitam inchoamus: nec lætamur quaſi è tenebris in lucem eruperimus, & auram vitalem trahamus, & almum ſolem amplexemur:neque circum genitricem exultantes laſciuimus,vt agni,vituli,hinnuli circū matres:ſed illud, cùm ex locis calentibus repente in aerē frigidum incurrat, ex commutatione angitur, & acriori dolore conflictatur:ego verò ægritudinum acerbarum conſenſu ipſa quoque crucior. Hinc & eiulatus natalitijs cantibus ex aduerſo reſpondentes, & vndique deuincientes faſciæ, & cunabulorum vincula, ſepulchralibus ligamentis cognata,& lectuli ſeu cunę, cuidens imago monumenti,vt hinc etiam mihi moleſtię conduplicentur, ſecundis his mihi poſt prima vinculis impoſitis.non enim à ſapientibus illepide multis appellationibus &coniugatis id vocatur,ſepulchrum, cuſtodia,amictus,monumētum, δέσμας, ἀπὸ τοῦ δεσμεῖν, à vinciendo,& tabernaculum,quòd in eo tanquam in taberna de via diuerſetur:deinde ſic illud colligatū,lacte nutritur,& ſenſim augetur:ego verò, tanquam fluuio fæculento cuidam illigata, huic inualido debilíq;, & fluxu perpetuo influenti atque effluenti, veluti ſub merſa corripior,& in extremæ dementię fundum pręceps deuoluor, nec potis ſum quidpiam mēte dignū, mihíque proprium efficere,humido gurgite immerſa. Verum enim vero hęc,tametſi alioqui miſera,tolera

bilia tamen,& qualia nemo iure reprehendat, vt quæ naturę legibus,& originis immutabili ſerie connexionéque gubernentur: illud miſerius quod ex amentię fundo enatans aliquando,& lumine rationis inchoans circunfundi, corporeis membris ad perfectiorem ſtatum procedentibus, neque tum plane purè dementia defungor:quemadmodum nec ex ebrietate,vel ſopore graui,vel veterno cõualeſcẽtes, vertigine aut ob oculos offuſis tenebris illinc natis in totũ ſtatim repurgantur.Cęterũ haſce demẽtię malas ſortes & tẽpus,& perceptio diſciplinarũ abradat à mente, & ſciẽtiam ac prudentiã inſculpat. ſed imperioſam altricẽ facultatem,& perpetua ciborũ & potuum quotidianorũ quaſi tributorũ penſa,quęq; inde mihi aduerſæ facultates ab illa nutriũtur, cõcupiſcentẽ & iraſcentem, quodnã tẽpus aut quę doctrina omnino remittere euerteréue poſsit? harũ ſeruitutẽ quis excuſsiſſe glorietur? quis voracem inex plebilémque ventrem,& gulam furẽtem,ieiunij lupato & fræno continentiæ ſine vobis cohibeat, qui naturæ contemptores inuſitata prudentia eſtis? & qui collatione cum angelis,mortalibus corpuſculis induti, & iam diuorum natura ſuperiores vos palam pręſtantes, nihil noui eſt, ſi longe ſupra corpus euolaueritis: vt hac mihi ſint oratione veſtræ res eximendæ. Cæterorum autem qui nunc mortales vitam degunt,quis à cupiditatibus alioqui alienus iraſcentis animi fremitum compeſcat? quis vel ſapiente ſapientior ita ſit,vt cupiditati nihilo minus quàm aſpis,mortife-

rum venenum iaculanti, & ad præcantricem vocem obſtinatius obſurdeſcenti medeatur? aut quaſi vas illud electionis, vt viperam adhæreſcentem excutiat? quis euangelicè progenitus & educatus, quemadmodum Azarias & ſocij puelli, non coluit corporearum voluptatum affectam locupletem & pecunioſum, vt illi non coluerunt ex auro & argento, ære & ferro manufactum ſimulacrum? quis, vt paucis abſoluam, ventris ingluuiei, ſcortationis, auaritiæ catenam diuulſit, nec ijs inter ſe funiculo triplici longóq;, & cætera vitia contrahente nexis conſtrictus tenetur? Eæ ſunt enim, opinor, apud Solomonem amatæ filiæ tres hirundinis ſanguinariæ, id eſt carnis, quę ſugendo quicquid animale, quicquid in me vitale ſit exhauriant. Horum corpus incuſo, hæc criminor: horum nomine hanc accuſationem factito, reum cõtumeliæ & iniuriæ poſtulans: quia natura, vt noſtrum genus conſeruaretur, molienti, permiſcentéque & alimento, & generis propagationi voluptatem, vt hac tãquam eſca pellectus homo, ad ciborum perceptionem, & legitimum cubilis muliebris vſum conciliaretur viuus, & vita functus non periret: harum rerum nemini accuſabilium, & naturaliũ, quaſi legum non ſcriptarum, ſed iam more vſitatarum captata facile occaſione corpus, ad quarum voluptatum licentiam non effertur? cuiuſnam ſatiandi libidinis terminos nõ exuperat? nunc eſculentorũ ſatietates exigit, nunc rurſum ſuauiſsimis & magna difficultate parabilibus cibis infarctũ, facere non poteſt quin ſatie-

tur

tur, iterúmque rebus quibus abundat obrutum deglutit: & pręsentia improbat, absentia desiderat: neque vina quæ patria tulit, cordi sunt, sed vt aqua quæ vicinos agros alluit, nihili ęstimãtur, & peregrinorũ sitis accenditur: neque vestimenta quæ ad æstum & frigus arcendum sufficiant, solùm quæruntur, sed quæ sint ex materia vix parabili, & arte supervacanea curiosius & delicatius elaborata. ad ea me vi cogit, vt per ancillas cibariorum, obsoniorum, & textilium administras sibi obsequar, & infinitis suis seruiam libidinibus suppeditandis, & veluti tributis conferendis ijs quæ præter necessarium vsum exiguntur: non vt ea decorè, & in rem suam absumat, sed ad libidines voluptuosas præceps abutatur. Quam igitur me vitam trahere putatis, viri deo dicati, cum eo ita miserè dementãte oberrãtem & subseruientem? aut quibus absurdis sceleribus turpissimè non impingentem? ista ne mediocria videntur? aut ego frustra temeréque alioqui indignor? Nam si quotidiana, eáque sine quibus non constaret, exigeret, non quiritarer: si nuditatis operimentum, simul & ab aeris immensis iniurijs pręsidium postularet, lubens equidẽ præberẽ: si vulgaribus abuteretur, si solũ modicã & frugalem vitam rectã censeret, non iniuriæ loco ducerẽ, talia suppeditare, neque actionem postularem, neque diem iudicij dicerem, vt hoc certe tempore iure facio, quippe quod cum impetu suis cupiditatibus contra mandatum Apostoli, prouideat. semel enim à naturali necessitate commodissimam nactum occasionem, o-

mnem peruagare nefandam voluptatem non desinit.
Plane enim quod ait D.Paulus de peccato, Per legem
scriptam peperit in me omnem cupiditatẽ. captata e-
nim per mandatum occasione, decepit me, & occi-
dit: idem etiam in nos incurrit. inuenta enim occasione
ex lege naturali, i. alimenti & fomenti vsu, mea carun
cula, omnem in me excitauit cupiditatem, & propter
rerum necessariarum indigentiam, primum me ad eo-
rum legitimum vsum trahit, deinde ab vsu naturali ad
alienum & contrariũ naturæ abusum pertrahit, tum à
continuo & frequenti abusu ad ingurgitandi & deli-
ciandi habitum: tandem me prorsus decipiens interfi-
cit. Nam delicijs irretita siue fœmina est, siue mens, vi-
uens mortua est. mea enim mors est, oblitam propria-
rum mihi actionum, in pecuarijs voluptatibus corpo-
ris percipiendis uersari: quando, vt alter apostolus scri-
bit, attrahor & inescor à carnis cupiditate: cupiditas
autem concipit, & gignit peccatum: peccatum autem
absolutum procreat mortem. Ab vberibus enim ipsis
in more positum est, vt cum ad iucũdum quiduis pro-
fundatur, ad id autem quod sensum exasperat, indg-
netur, ijs exerceatur affectionibus quę ex voluptate
& dolore nascuntur. Hinc & ira vires & potentiam in
corde, in iecinoréq; voluptas exercet: qui principes af
fectus ita diuturna cõmentatione corroborãtur, vt &
mei partẽ rationis participem cõsentiẽtem habeant, ab
ducãtque morigerã, vna quadẽ ratione. aut enim do-
lo, aut violẽtia trahũt. O quoties intelligentiã mihi vo-

lupta s ſuffurata eſt: quoties, Quæ faciam ego non ſum malorum neſcia, Cõſilium at iratus meum impedit animus. Iracundiam quoque & voluptatẽ vniuerſa perturbationum turba cõſequitur. Equidem conor vni mihi principatum debitum aſciſcere: verum ab hac populari dominatione auertor, idémq; mihi accidit, vt ſi qua nobilis puella parentibus orba relinquatur: quæ cũ multarum ancillarũ domina ſit, nondum autem imperare didicerit, cõtemnitur, aut etiã colludere docetur: at ſerius agnoſcens quæ quibuſcum corrumpatur, familiæ capeſcit imperium, & illas in ordinẽ ſeruilem reduc it, & caſtigat: illæ verò priſtina licentia herili laſciuiáq; refertę, erubeſcunt, & in herã inſurgunt: vt etiam quidã ſerui ferũtur, heris peregrè pfectis morantibúsq;, & familiæ heri, & vxorũ viri ſucceſsiſſe: deinde in reuerſos heros inſurrexiſſe, & armis decertaſſe: quemadmodum item alij poſtea, Roma fugitiui magnis prælijs cum perſequentibus & fugitiuarijs dimicarunt. Tale quoddam contra me ſeruile bellum concitat natura mihi ſeruum corpus, aut etiam acrius, quòd illorũ partim armis, quanquam difficulter, tamen perierunt, & vna cum ſeruitute vitam quoque poſuerũt: partim interea pugnando reſtiterunt, dum heros ferro dimicãtes viderunt, & in ſe pariter irruentes: vbi autem illi deponenda cenſuerunt arma, & inermes flagra duntaxat tanquam ſeruis incuſſerunt, itáque reuocarunt in memoriam, qui quibuſcum auderent gerere bellum, tum ad ſe denique redierunt, & priſtinam dominationem

agnouerunt. Hoc verò meum ſeruile hoſtiléque, malũ eſt indomabile, ſeditioſum, fugitiuum, quod nullo pacto in ſeruitutem adducas: nec rationem vllam teneo, qua ſuperior euadam. nam neque iure belli, neque lege iuſtæ ſeruitutis expugnare poſſum: ſed quoquomodo congrediar, omnibus prouerbijs obnoxia teneor, lapidem coquens, aerem verberãs, æthiopem dealbans, flã mam cædens, in aquis ſcribens, ex harena funiculum nectens. O factum incredibile. duarum rerum rationis expertiũ poteſtas meæ fidei credita eſt: alterius mecũ intrinſecus & è propinquo, alterius remotius & extrinſecus coniunctæ. verùm hæc exterior ſeruitutem paſſa eſt, & ſubiiciendi legibus acquieuit. nullum enim animantium ratione deſtitutorum, idoneum obſequium præſtare recuſat: ſed iugum impoſitum ceruici bos tollit, ac terræ craſsitudinem aratro perfringit, idque facit, ceruicibus comuum acies, quaſi alteras haſtas, prætenſas habens: neq; leuipes equus miniſterium fugit: ſed etiam ferox & petulans, orè tamen frena recipit, ſeſſorẽ & pacem agitantem & pugnantem vehit: paret aſinus, licet natura tardus ſit, ad onus portandum vocatus: & quemadmodum ferocitate exultantem equum coercui, itidem tardiſsimũ aſinum adhibito puello & fuſte celeriorem feci. quid hæc manſuefacta pecora & ſubiugalia dico? non vrſus, nõ pardalis, ferarũ immitiſsimę, non ipſe elephantus, magnitudine aggeres terræ ſuperans, non leo rex agreſtium animantium, noſtrum detrectãt imperium: ſed & in vrbibus per forum & thea-

tra ducti, spectatoribus ociosis voluptatem cum stupore & miraculo præbent. neque sublimibus auibus ad fugam satis fuit aeris ingens altitudo: vt neque piscibus ad latebras profundissimũ; maris fundũ;. ac hoc rationis expers, ferinum & beluinum, ita manſuefacimus vt res fert, & domamus: alterum verò genus domesticum, & cui cõtinenter insidere nobis præscriptum est idq; moderari, nescimus quonam pacto mitigemus, & ad obediendum clementer adducamus: & tamen genus illud natura prorsus ad rationem obsurdescit: hoc auscultat, & modo quodam ad eam conuertitur. at quod à ratione alienum est omnino, rationi magis obsequitur, quàm quod natura insignitur & ducitur ratione. Illud quoque suppeditat & labore suo parat corpori profutura: corpus verò auxilio mihi datũ ad obeunda præclarissima virtutis munera, contrarium & magis renitens deprehenditur: potiúsque vt secum aberrem à ratione, quàm vt mecum ipsum vnà ratione vtatur, vi cogit. Ac superius explicata causa est: quòd cũ esset mihi honorificus ortus, non intellexi primùm, scilicet cum fatua caruncula vnà iuueniliter desipiens, siue cum materiæ sordibus, vt Chaldęorum verbis vtar, & quisquilijs simul demersa, & velut ostreato indumento circundata, comparatione similitudinéque pecudes & amentes naturas refero. serius tamen intelligere demens, & stolida aliquãdo sapere incipiens, adnitor mihi primordium conueniens vindicare, corpori eiúsque membris imperare cum ratione, & ad munus cuique congruens

reuocare. Illa tamen ipsa sermonem etiam præoccupãtia, plane factis proclamarunt quæ ciues nobili viro, vt est in euangelica parabola, per legatos quos miserat, nũciarunt, Nolumus vt tu regnes in nobis. ducũt enim citius quàm ducũtur, renituntúrq; familiaribus & amicis potius q̃ ascisciũt quæ sunt optima: magísq; retrahũt quàm trahuntur. Atque mihi cõsiderate quæso, primũ aures & oculos: illæ, vt Ecclesiastę verbis vtar, audiẽdo, hi videndo non satiantur: quoniam illis semper patentibus fores occludere non licet: his quãquam palpebrarum tegumentum vallum est, & auersio, & ex sententia magni Iob, dispositio ne vana videant: quid tamen hæc ad eorum momentum promptissimum & celerrimum supra modum, & inexplebilem curiositatem? Deindéque linguam, indomabile malum, mundum iniquitatis, vt Iacobus frater dei loquitur: quę etiam prius quàm rationi liceat dicenda considerare, præceps ad nunciandum sua sponte præsilit, foris effutiens quæ non oportet: tametsi tot septis naturæ circunuallata sit. Quid verò gula canalis quidã omnium capax? quid insaniens furensque tangendi sensus? rationíne auscultare nouit, & appetitioni modum constituere? Quid verò cor, cum efferuescens & ad vltionem incitatum tumultuatur? quod quam ob rem canino ritu latrans Homeri poema fecerit, ac non potius leonino more rugiẽs, admiror. postremò animosa particula cupiendi cui rite comparari possit? Scyllæ ne, immortali pernicici, an renascenti Hydræ? an Typhoni capitibus cen-

tum prædito? Tot instrumentorum barathris, & artuũ vallis, vndiq; mea cõsepta est altius habitatio: in quibus absurdæ & rationis expertes facultates, velut omnimodi serpentes in ferinis Libyæ spelũcis, latitant: quas cicurare manſuefacerẽque pollicetur illa quidem dignitas imaginis: at si qua sursum emergũt, deorsum vnà conuoluuntur. nam illa magis ferociunt sæpẽque numero efferãtur. Quod vos quoque subsentientes, & nequid inde mali vobis accideret cauentes, ex hominum omni cõsortio, ferarum altricibus lucis occupatis, vos abducendos censuistis, antra suis tegmentis munita, terrẽque penetralia solis radijs imperuia subeuntes, per deserta vasta sub dio vagatis, vt corporis sensibus ad malorum ingressus obstructis, pars illa rationis carentis animi ferociens, alimentis destituta quiescat: & rationis compotis pars intelligens, à rerum sub sensum cadentium perturbationibus vacans, ociosa rebus intelligentia sola percipẽdis incumbat. Esto sic sane. equidem his paucis demonstraui palam, quanta seruile corpus in me iuueniliter moliatur: quod tametsi talium iniuriarum auctor manifeste reuincatur, non tamẽ abstinebit quo minus contrà etiamnum dicat, qualia sẽpe numero liberrime dicendo, non mutiendo ritu seruorum, insolentius audet: ita nimirum omnibus in rebus, quasi natura hostile mihi renititur, factis dictísque repugnans, & omninno, nullũ in pactum, nullum in fœd' coiens. Itaque quicquam eorum quorum nunc accusatur, ac in primis illos ciborum pereuntium malignos quẽstus,

& perpetuam exactionem se vel agere vel pati negaturum est. Nam cum sit natura compositum & semper fluens, meatibus tum abditis, tum apertis, necessario respondentem inanitioni repletionem requirit. quam cũ non aliter quàm per cibos & potus natura molita sit, idcirco nihil se peccare dicet, naturæ legibus sequẽdis, & quæ statum conseruent appetendis, si ad tempus legitimum sufficere, nec male habere, egere medico, omnino defessum cõcidere, iacturámque earum actionum facere quas mentis causa cum labore susceperit, velit. Hi verò, hi inquã, beati iudices, vsitati corpori meo prætextus sunt, siquando delabens aut irruens ad lasciuiam fræno vitæ durioris reuocem. Vt enim lactentes infantes à mamma depulsi plorant, itidem & hoc ab ijs quibus familiariter assuetum erat, auulsum luget, & indignans obstupescit, morbos & vinculi quo inter nos colligamur dissolutionem, excessum è vita iniustum, & ab agendarum rerum studijs cessationem cogitans. Nam quod hæc manifesta ironia, dissimulantia, tergiuersatio & versuta recusatio sit, vobis nõ est ignotum qui experiundo didicistis, & edocti estis, naturam corporis in rebus honestis operam & laborem impendendo, in naturam impatibilem quasi ferrum & adamantẽ indurescere. quod vero non ꝓ foribus hæc contentio sit, id quoque perspicuum tametsi est, argumentis reuincam expositúm que & planum faciam. Non sanè prorsus quòd nutriaris, neque quòd nutriendo lęteris, ô stupidum corpus, criminamur: ea criminamur

quib

104

quibus malis aut afficimur, aut deteriores fimus. Quis enim mente præditus, & naturæ rationes vel mediocriter contemplatus, maledictis impetat cùm alias facultates, tum maxime altrices? Alimenti abusum exlegem in delicijs & inexplebilitate reprehendimus. Non autē idem est τρυφὴ, quod τροφὴ, deliciæ quod alimentū, sed alterum ab altero longioribus interstitijs differt quàm Mysorum & Phrygū fines differūt, tametsi vicinitate nominum ea propemodum conueniant. tu verò aut stupidis, aut malignis moribus præditum, accusationē abusus ad naturalis vsus calumniam traduxisti: idémq; aut nescisti, aut te nescire versutè simulasti, veluti nos adulterij vel ebrietatis accusantes quēpiam, calumniareris, quasi conuitijs nuptias pudicas & sobrium vini potum infectemur. Itaque neque te, ô mea crux, in iudicium vocamus, ob rerū necessariarū vsum, sed quia tu hanc nactum speciosam occasionem, nō desinis, vt iterum illud apostolicum vsurpē, omnem in me cupiditatē efficere, primum quidem vtens alimento sicco humidóq;: deinde prēter & contra quā par sit abutens, eô incūbens, ad vniuersam omnémq; voluptatis illecebram delabens & irruens, & vnà me corripiens, & exhibens negocia. Nam duplici & gulæ & ventris intemperātiæ flatu exagitatum, vel potius triplici (in satietatibus enim, aiunt, venus est. prētereo enim tunc horum comitem malorum legionem) quid non mihi difficultatum & miseriarum infers? Nam dum es inane, repleri desideras: vix plenum es, denuo laboras inanita-

te,ac iterum exquiris compleri: quando item fame diuexaris, ad ſatietatem te cibis oblectas: cum exaturatum es,voluptatis illecebras quæris:quin potius, & eſuriens,& plenum,neque ſatietatis modum,nequevoluptatis ſatietatem noſti:in quo ego miſera ſum,pari pœna damnata qua illæ fabuloſæ Danaides, vt in infinitum vt illæ,tibi exhauriam,dolio pertuſo:aut etiam eadem patiens quæ diuinus ille Dauid, huic profundo cœno,in quo nuſquam ſubſiſtas,illigata,ad imum perpetuo delabens fundíque neſcium. quod enim extremum profundum tuarum appetitionum inuentum eſt,quod tandem poſtremum ſubſiſtat,& tuo vlterius progredienti obſiſtatimpetui?non eſt aliud quicquam, niſi quis mortem malorum omnium domitricem dicat:miſerior verò multo ſum alioqui,quòd imprudens inſciáque te malam beſtiam in ſinu foueam, & pullũ petulantem meo malo pinguefaciam. Nonne nutritum & fotum malam mihi gratiam refers?mordens,vt ſerpens,calcitroſum, contumaciter ignominiam inurens,nec amplius domabile:non perſuaſionis blanditijs deliniris,non vi frænaris,non probitatis ergo labores attingis: quid aio, labores non attingis? præclare mecum ageretur,ſi contra non nitereris:ſi ad tibi grata charáque, mihi autem ingratiſsima inimiciſsimáque, non violenter tecum corriperes: ſi meam pulchritudinem amabilem luto, vt apud Solomonem illa ſus auream inaurem,non obuolueres.Ne mihi quæſo,beate cœtus,ſuccenſeatis,ſi inuehar in hanc indomitam ma

lámque pecudem tam acerbe, cuius tyrannicam rebellionem, ille quoque tantus Paulus, mundo crucifixus, non iam viuens, sed in se viuentem & loquentem Christum gestans, circunspectius obseruabat, & indignans veluti deplorabat, miserum se vocans hominem, & anxius quærens à corpore mortis huius liberatorem: in quod etiam tanquam generosus athleta, coronámq; merens, vehementius irruens, non prius desijt ferire calcibus, & crebris suggillationibus notare, quàm in seruitutem adduxerit, morigerúmque fecerit. Esto sanè, inquit: at tibi licebat natura subdito mihi seruitutem imponere, quæ notas inurere velles, apostolicã secuta formam, illúdque sapiens præceptum, Asino fœnũ & baculus, seruo panis & flagra. O ludibrium: quibus me dissimulationibus deludit. nunc fateris te mihi subditum esse natura: nunc mihi verbis adblandiris, quòd subijcere liceat, factis perpetuò repugnans. Ego vero quòd tu velut asinus petulans, fustibus cædẽdum sis, & vt malus seruus, verberibus lacerandum, intelligere ipsa sero cœpi. verum agedum mihi percõtanti respondẽ, Quãdo quæso, quáque ætate mihi datur te subijciendi potestas, cum nunquã cum Apostolo dicere possis, te legi dei subiectum esse? vtrum ne puerili & adulta? at tũ mentis impotentia desipiens, me ipsa non possum vti, intelligeréq; quanto tibi præstem. An verò iuuenili & virili? at tum omne malum erupit, & inde bellum vehementius inchoatur, me iam meipsam agnoscente, & cõueniens primordium asciscente, & alio vitæ victúsque

106

„ quadrabat, quod prouerbio quiritantur, Ah quàm
„ graue est id hominibus malum, Quum quis bonis nó
„ vtitur his quæ nouerit. Nam ego certo sciens in tam rebelle non esse verberibus animaduertendum, sed vt hostile odio prosequendũ, non tamen bono hoc animi consilio vtor. ab innumeris enim affectionibus depulsa impedior. Quæ sunt hæ? non enim vos celabo. Pudor, parcitas, misericordia, metus non intrepidus, sed lethalis. Pudet me huius, vt conserui, & vt aliquãdo me adiuuantis, si non hoc tempore, fortasis in futurum: & vt sodalis, amici, socij, coęqualis. Parco abstineóque tãquam ab ærumnoso, infelici, misero. Ac me vicem eius grauiter miseret, nescióque quonam modo cum afflicto cõdolesco, cum oppresso vnà molestiam capio, cum dolente cohæresco. Præterea caueo nè offensionibus acceptis imprudẽs ruat, & mihi causam earum rerũ quas ipsum attentauerit, aut vinctis custodiam perfodientibus ac elabentibus, aut seruos corrumpentibus inquisitionibus & tormentis vehemẽtioribus, attribuat. Quantum enim audax & temerarium est, quãdo lautius nutritur, tantum ab ærumna qualibet occurrente vexatum, commoritur. non modo enim morbo laborans, sed & frigore, vigilijs, esurie, sitiq; labascens ac deficiens humi prouoluitur, concitátque ad misericordiam hostes, nedum me nascendi ac viuiscendi, & profecto renascendi atq; reuiuiscendi sociam & participem. Me miseram, quid patiar aut faciam, cum tam multiplicibus malis prædito socio coniuncta, ijsdémque affecta? cum quo à pue-

ris in eundem ignorationis fundum depellor, & cum iu
ueniliter ad contumelias prolabenti corripior: cum ip-
ſum membris viget ſuis, equidē indigne fero, cumque
me ad nefanda facinora rapit: cum rurſus adfligitur mi
ſere, reflexa diſtorqueor, & manſueſco. Quo ſupplicio,
qua pœna non eſt dignum tam vecors & ingratum, &
in me contumelioſum, ita clementem, & miſerabili cō-
miſereſcentem, vt ne liberorum quidem amans mater
in ſua ipſius viſcera eſſet affecta? At ita ſane adoleſcens,
ita iuueneſcēs, & virilem ætatem attingens, me non ſo
let auſcultare. At ſeneſcens mite ductiléque & tractabi
le eſt ad ea quæ decent inſtrumentum? vndenam? quod
certe membrorum vigore nexúque ſoluto, & ingenito
calore extincto, immobili torpore tabefactum veluti
compeditum eſt, & veteris arboris exareſcenti trunco
ſimile. ſcilicet tale poſsit res aggredi ſerias & hone-
ſtas, quod ſuſtentantium & ſeneſcenti ſuccurrentiū in-
diget. præclarè verò mecū ageretur, niſi etiā ſuas mihi ca
lamitates inureret, & quibus abūdat, ſenilibus malis mē
referciret, delirio inquam, errore & veterno. Nam ſi ve
rum eſt, mentem Tithono conſeneſcere, & bis pueros
ſenes fieri, a d repueraſcendū profecto ętatum conuer-
ſione reuertimur: ac corpus quidem videt & audit ob-
tuſius: ego verò ſenis delirantis lippitudine cęcitatéque
tanquam tenebris offundor, nec acutius iam cernere
poſſum. Et illud cùm aliarum rerum obliuiſcatur, ali-
menti tamen in perpetuum meminit: & genuinis nō
amplius dentibus in alueolis infixis, tamen maxillis mo

laribus deſtitutis molit vt poteſt, quas etiam prouerbiũ quoddam vt & ſcipionem, ſeni largitur: ego verò non iam diſciplina & memoria vtens, neque ſane denuo vt didici, percepta recordãs, ſolum ingurgitor obliuionis poculo, itáq; paulatim è ſublimi ad puerilem regredior ætatem. Tametſi enim temperationibus aduerſis affecti ſunt & pueri, & decrepiti ſenes: quòd illi humidi ſint & calidi, hi ſicci & frigidi, vtraque tamen ætas ſapientiæ vſum ac prudentiæ mihi negat: nimirum, quando puerile corpus ſub perhumido ſincipite, cerebrum geſtat aquoſum, vt nihil intelligens infans ſapio: quando vero caluaria ſenio eminens paret, nihil ab vua paſſa, vt in prouerbio eſt, abſimilis, rurſum vt infans reputor. Affectiones enim exuperantes & corporum naturam, nec minus mei partem ratiocinantem labefactare vehemẽter poſſunt. Omitto reliqua recenſere quæ has ætates, primam, & poſtremam dico, ſorores germanas conſequuntur, excremẽta ſuperflua, caluam depilatam: accedit huc os ſaliuoſum, & edentulum, lachrymoſi & humentes oculi, nares mucoſæ, pedes partim nondum, partim non amplius ad ingrediendum habiles & apti: membrorum item tremula inconſtantia, & totius corporis conquaſſatio. ſed quouſq; recitare contendo corporis omnia triſtia mala, quibus affectum, aut me miſerè ad condoleſcendum attrahit, aut miſerius ad collætãdum corripit? Igitur multis prætermiſsis, ac morborum examinibus præteritis, à quibus, dum fouetur, riget, artubus torquetur, &, vt paucis abſoluam, dum male ha-

posthac iniuriam patiar, permittere. Si enim euangelicus ille iudex, neque deum formidans, neque homines reueritus, vindicationem aggressus est, quanto magis vos vindicabitis me, qui & religione sancti estis, & rerum humanarum prouidi? Nam ei merito ne parcatur, si eius naturæ quod est luctuosum & miserabile cõuertatur ad supplicandum: sed ab eius seditione manifestáque tyrannide vos abhorrentes, è duobus alterum iustè faciendũ statuatis: aut vt mihi detur ita meo tractandum arbitrio, torquendum, flagris cædendum, inedia suffocandum, omni tormentorum genere cruciandũ, vt à me gestorum ratio nulla reposcatur, etiam si mutilauero, & omnino confecero: aut apostolica æmulatione, Satanæ cõmuni, diro & publico tortori tradam. Quorum enim vasa feræ terrenæ incolent, vt est in Oraculo (incolunt autem perturbationibus incidentibus) eorum & pœnæ sint mortalium suffocatrices. Ita verberatum, demens mentem feret, séque tandem agnoscet, & à petulãtia cessabit, ex eóq; quod erat armatura iniustitię, ad iustitiæ commodum instrumentum conuertetur. Itaque in posterum seditionibus non agitabimur, nec altero alterum iugo nitemur: sed concordi conspiratione & cõsensu iunctas operas in rebus honestis & serijs collocabimus, & coniugatorem nostrũ colemus, ac nobis ipsis promissam illam beatitudinẽ, intercedentibus vobis arbitris & legatis, comparaturi sumus.

Altera declamatio, quæ & ipsa est assumptiua refutatio, Quibus verbis corpus contra mentem, in iudicio contendens coram iudicibus, vti possit.

IN ME quot conuitia, quot contumelias, quanta cauilla congesta Mens ista grauis effuderit, quasi comœdiam ageret in theatro, non accusaret in foro, audistis sanè, diuinissimi iudices. soluta enim & libera lingua, ne quid plus dixero, large effuséque vsa est, non tanquam conseruo, aut, vt ipsa loquitur, coniugato parcens, sed vt in mancipium argento redemptum inuehens, & tantũ non pugnos crebros impingens. Ego verò, postquam vestra mihi æquitas dicendi locum dat, nihil sum leuis momenti vitiosíue dicturum. bona enim verba dicantur necesse est: sed quæ crimina intentauit mihi, ea vt potero dissoluere conabor. semel autem hoc tempore mihi concessa ex æquo dicendi facultate, vos orabo obtestabórque, vt meã dominam interea mitigetis, siquidem indigna se pati censens, irata meam audit orationem, idque aliã contumeliam interpretatur, quòd initio sim ausum contradicere: vtque vobis veniat in mentem quemadmodum neque Iob ille diuinus suorum ipsius famulorum de se iudicium vilipẽdebat, vt alicubi ipse inquit: nec profecto mentitur. nam præter alia bona & honesta, etiam hominis veracis testimonium accepit. Neque certè deus ab ipso Iob in iudicium vocatus, vt conuitiatorem reprehendit. Quidni? qui apud diuinum Esaiam, Venite, inquit, & disceptemus cum viris delinquentibus: & a-

- pud magnum Dauidem inducitur iustificatus, & vin-
cens cum iudicatur. Igitur & hæc quæ dei refert imag[i]
nem, exemplaris bonitatem illam imitetur, & magno
prædita animo patienter hãc siue iudicationem appel-
lare, siue etiam disputationem oportet, sustineat, eisdẽ
que rationibus animi quibus ille, fortitudinis adamãtina
aureáq; statua, famulares cõtra se iuris actiones ferebat.
- Vtrúmne, aiebat beatus ille, nõ sicut & ego in vtero fui,
- illi quoque fuerũt? Quod si forte perinde ratiocinari di-
ceréque ac ille iustus Iob, recuset, vt ego sltẽ vice versa
dicam concedite, quanquam dissimiliter similia: quia
illic herus erga famulos æquabili animo vtebatur: hîc
erga dominam ego seruũ libertate vtor. Nũquid non
& ipsa manu dei creata est, vt ego fictum? non enim
se dei creaturam negabit, tametsi fortasis figmẽtum,
vt quæ diuina sit inspiratio: neque male feriatis homi-
nibus decepta persuadebit vnquam, quod essentiæ di
uinæ defluuium sit, qui quidem quantum magnifa-
cere & extollere studuerunt eam, eiusdem cum deo
naturæ definientes, tantum imprudentes eandem con
uitijs affecerunt, ad bestias, frutices & cucumeres de-
primẽtes, nec ei solum immodicũ honorẽ & infamiã,
sed & supremę illi naturæ contumelias intorquentes.
Nam cum constituisset deus hominẽ effingere (ad ini-
tium enim proprium mihi reuocanda est oratio) non
terræ, non aquis iussit, vt hunc quoque sicut & alia ani-
mantium genera producerẽt, sed accepto puluere ipse
cõformauit: & vt conformatio diuinior est, ita & mea

ſpecies antiquior. non enim quadrupedem & pronam fecit, non aluo capitéque in terram protenſam & proſtratam ſemper, ſed rectam & totam ſublimem, paruis quidem ijſque duobus plantarum veſtigijs terram leniter attingentẽ, ſurſum autem caput attollentem, aerem puriorem reſpirando carpentem, & cœleſtes pulchritudines contemplantem: ac natiuis quidem nudam indumentis, & ad ſe tuendam præſidijs inermem, manibus tamen communitam, proprio animi rationis participis, & induſtrio & verſuto exercendis artibus inſtrumẽto: quarum opera tutius induitur contra incommoda omnia, quàm lanigeræ & longis pilis munitæ animantes: tectiúſque, quàm quotquot aut corijs aut ſquamis natiuis obducũtur: & pulchrius, q̃ bene alatę aues: armata eſt autẽ validius ad ſe defendendam, propugnaculis manu factis, quàm ijs quæ vel vngulis vel cornibus pugnant, aut dentibus & vnguibus. Ita verò mihi ſtudioſè artificioſéq; formato, deus vitæ ſpiraculum inſpirauit, & id ex ambobus temperatum, hominem & ſuam imaginem nominauit, & vt pedeſtribus, natatilibus & volatilibus imperaret, præcepit. & ego ſine mẽte quippiam agere nequirem, vt nec mens ſine me. Statim enim, quæ præcipua eſt imaginis nota, in animãtes imperium exercere, quomodo mẽs corpore deſtituta, aut initio recte potuit, aut in eo poſtea perſeuerauit? qua ratione conſcenſus fuiſſet equus, niſi meæ manus frę́na fabricaſſent? qua ratione bos infidiſſet ſulcos, niſi ijſdẽ iuga aratráq; conficientibus? Quòd ſi mentis excogita-

tione hæc reperta ſunt,illud eſt quod nunc dicebam,al terius opera egere alterum.illa excogitat, ego quod eſt excogitatum,induſtria mea perficio. Ipſa rationes artifi cioſas videt & proponit,manus meæ materiam ductilem & tractatu facilem ſuppeditantes, eius quod animo informatum eſt ſpeciem conficiunt:& non iam ſeruum,quanquam vt ſeruum aut inſtrumẽtum,hęc ſubminiſtro,ſed vt particeps eiuſdem dignitatis cum mente conficiẽte, imaginis exẽplo,& honeſtarum actionũ adiuuans cauſa ſum. Nixum enim fretúmque naturæ hominis ratione atque deſcriptione, cõfirmauerim, non mentem ſolam, neque corpus ſolum hominem dici, ſed vtrũque ſimul,quem ad imaginem ſuam feciſſe deus dicitur.Nimirum,quemadmodũ cum homine communico, ita & ab humana dignitate participo. At tale cùm ſim, me tamen optima mens è catalogo tantæ nobilitatis expungit, & veluti ſpurium abdicat, me ſeruum,ſe diuinam inſpiratione,reginam,& meam dominam appellans.Ac potuiſſem equidem operoſiùs & efficacius hunc tractare locũ,ſuaderéque ne amplius ſeruum vocaret me conſeruum & imperij conſors, virtutíſque particeps & vitæ tũ preſentis,tum ſperatę, ſufficiãt tamen quę dixi hactenus apud vos,quibus ad obeũda certamina hæc generoſa corpora expoſita ſunt,vt nedum in hoc ſeculo ſpiritalibus donis,vt ſocia & conſortia laborum, fruantur,verum etiam in expectata regeneratione, ſimul cum beatis ſuis ſpiritibus regnent,& vt ſol colluceant:cæterum non admodum hac de re con-

tendam. Appellet vt ſibi fas viſum fuerit: potentia re-
ferciatur, ſuo quiduis arbitrio ferat, agat; vtatur me quē-
admodum volet: dūtaxat ne vitio mihi vertat innoxia,
neque me culpa vacans culpet. Audiſtis enim quibus
de rebus accuſet me, quòd ali, quod indui velim, anima
le manens adhuc, & dum ab animalibus facultatibus gu
bernor, necdum in ſpiritale transformatum. Aliam e-
nim vitam id aliámque victus rationem vt in pro-
uerbio eſt, deſiderat, nunc vero fluidum cum ſim, &
ſine facultatibus appetentibus conſtare non poſsim,
quidnam quæſo, delinquo, ſi naturæ inſtinctu ciborum
& potuum cupiditate teneor? Quam ſibi contumeliæ
notam mens inurit, quæ hæc eadem mihi ſuppeditat?
quaſi non audierit Apoſtolum clamantem, Nemo ſuā
carnem odit, ſed enutrit & fouet. Quo pacto enim aut
initio ſubſtitiſſet, aut poſtea conſtitiſſet, niſi ſufficienter
aleretur? Quippe ſtatim ac in vtero formor, quaſi planta
vel inter plātam & animal medium quid, per eas quas
ſecundas appellant, ſiue per vmbilicum, alor ſanguine
menſtruali: illinc autem progreſſum, lactis riuulo per
mammam nutricor, aduſque dentium ortum. Vbi ve-
ro animandi natura cupida mihi dentibus os acutis &
latis inſtruxit, vt & ſecare & conficere facile cibum po-
tuerim, tum deniq; menſam ſolidioribus eſculentis ex-
truxit. ita ſane naturis corporum congenitum eſt alimē-
tum, eáque naturę cognatio eſt: & ſi non eſt eorum ver
bis fides habenda, qui lapidibus nonnullos ali aiunt, fa-
cto tamen credendum eſt, quòd animatorum nullum

careat alimento, vt arbores & herbæ & quidquid radicibus fultum terra parit, & omnimoda animantia. An verò dæmones & ſydera libamentis illi & odoribus, ex halationibus terræ hæc nutriãtur, id Græcanicis ac prophanis poetis & philoſophis dicentibus, haud facile aſſentiar. Nam illi cœtum dæmonum opinabantur eſſe corporum & materiæ voluptatíſque auidum, & aſtris animos tribuebant. Itaque cum animatum corpus omne ſit alimentarium, quicquid animatum eſt, naturæ lege nutriatur & viuat neceſſe eſt: quod autem non nutritur neque viuit, id ne animatum quidem eſt. Quam obrem & Seruator noſter non modo quos mortuos ad vitam reuocauit edere iuſsit, ſed & ipſe mortuus ac iam reuiuiſcens comedit & bibit, argumentum inſolubile repetitæ vitę alimenti perceptionem proponens. Et natura quidem ſeruatrix ita corporis ſanguinẽ procreans, ſanguine materno, fœtus ore nondum prędítos: infantes edentulos, lacte: perfectos & abſolutos, omni genere varietatéque ciborum alit: nec, dum creſcit, nutricatur & educit, adultum verò & iam inhabilẽ creſcẽdo ętatem attingens dereliquit: ſed ad ſenectutem & decrepitam ętatem vſque, tanquam bona nutrix ducenti ſpiritum adeſt, nunquam diſcedens, non noctu, non interdiu. Dormientium etenim non quieſcit altrix facultas, ſed inſomnis & peruigil bonę nutricis inſtar, inſpirãti pręſto eſt. nunquid non bona faciens? ea certe quæ per os molita in ventrem demittuntur, concoquens ac digerens, primúmque in ſuccos conuertens, deinde ad

iecur abstrahens & in sanguinem mutans: illíncque per venas omnibus partibus suam cuique portionem distribuens, & cuique congruum & proprium conglutinãs, Ac multam gratiam prouidentię huic qua nos administramur, debemus, per quã quæ peperit initio, eadem & in posterum charitate complectitur, nec sinit dispergi dissiparíque, alimentis excogitatis ac paratis. Et natura quidem, vt dictum est, ita format, conformat, coagmentat. Mens autem rationis compos, & corpus incolens, naturæ contrarias leges constituit, vt alia quæpiam imperiosa domina: & quia quotidianum semper alimentum quæro, me gulosum & inexplebile dolium: quia nutrimento lætor, luxuriosum & voluptuosum nũcupat. deliciarum enim finibus alimentũ metitur, quòd ijs quæ comedimus & bibimus natura dulcedinem inũxerit, vt suauitate quadã ad gratius & auidius percipiendum cibum alliciamur, nec tristes quotidianis alimentis aduehendis condolescamus. Nouas enim leges, noua nomina fingit, aliæna quædam & absurda tum legibus ferendis, tum nominibus imponendis decernens, quasi nefas sit, ali cũ voluptate, quòd talis τροφὴ τρυφή, i. alimẽtum deliciæ sint. Ego verò quod natura naturæq; legibus gubernor, vt alar mihi licere, ex omni necessitate consequentibus & animi hilaritate & voluptate, cẽseo: nec deliciæ criminabiles eæ sunt, sed charum alimẽtum & naturæ congruens. Quod si quis oppressus mœrore, vel pane vesci prorsus oblitus fuerit, vel cinerem tanquam panem comederit, & potũ cum fletu miscuerit,

112

rit,alia ratio hæc eſt,quę ad propoſitam vobis quam pla niorem agitamus,controuerſiam non pertinet.Si verò naturalem quę nutriendo percipitur,voluptatem, luxu riam definit,multo prius quę in procreandis liberis eſt, flagitioſam nominabit.At neque nuptialis,neque etiam altrix voluptas vllis mente prędi tis crimini datur, quin potius admirationi eſt.Nam illa de genere quod ſenſim effluit,ſucceſsione: hęc corporis inanitatem,alimento ſupplet ac reparat.itaque neque diuina mens à ſua deci dit ipſius dignitate,neque prorſus contumelia diuexa-tur,ea cõcedens quę à natura decreta ſunt & ſancita:& operam conferens,ac vnà ſuppeditans ea quæ ſunt prę-cipua,& maxime corpori neceſſaria:etſi de talibus hęc erecta fremit, quibúsque criminibus aliorum taxat delicias,ijsdem ipſa magis delicians reuincitur.Cõſide rate enim quęſo,quanta iactet. contumeliam & ſeruitu tem ignobiliſsimam cenſet,quod initio mei curam ge-rat,& ad viuendum neceſſaria comparet:ac diſsimulan ter cauillatur ſe pręſtantioribus adhęreſcendi non eſſe compotem,& deterioris curam habere, idcirco cuiuſ-dam ancillæ opſonatricis & panificis ſpeciem induit, quæ alioqui domina eſt,& ſuã ſtudet inuiolatam felici-tatem conſeruare.Atqui ſi hæc apud alios deſidens ſer monibus iactaret,fortaſsis his pręſtigijs imponeret:nũc verò cum apud vos nihil recti,nihil ſani diſsimulet,ma nifeſto indecore facit.Vos etenim qui hîc ſedetis tacen tes,tergiuerſationes huius perſpicue reuincetis, qui no-bilitatis imaginis illius,ſi qui alij, bonam vobis partem

vindicaſtis, & abſque perturbationibus ac veluti citra materię contagionem in corpuſculis mortalibus vitam egiſtis: tamen & corporum ex parte curam geritis, apoſtolica æmulatione vobis ipſi comparantes & adminiſtrantes idonea: neque corporum talem auerſionem tã indigne tuliſtis, quã animorum à ſtatu meliori lapſum: neq; verborum nexus & ſeries vos tam ad commiſerationem trahit, quàm aureæ catenæ virtutum alia ſolutio: ſed vt per omnia iuſti, iuſte, beatiſsimi iudices, & corporum iura diuino præcepto perſecuti eſtis, nec ob id vos deteriores euaſiſſe cenſuiſtis, nec ad conditionem coquorum & menſæ ſtructorum deſcendiſſe, vt ex mea mente nunc audiſtis. Etenim equidem, amici dei iudices, neque conſpicio quænam ex mei cura menti contumeliæ nota inuratur. An verò hera curans ancillas, hac ratione fuerit ignominioſa? aut gubernator nauem onerariam inſtruens, ex hoc periculoſius nauigabit: aut miles arma recudens & repurgans, ac bellatorẽ alens equum, imperitiæ rei militaris idcirco damnabitur, aut inter milites deſertores enumerabitur? Quid nõ ad hos reſpicis qui in corporibus ſine corporis contagione vitam duxerunt, & corpora non oderunt, quin potius adcurarunt quantum oportuit, ô fruſtra corpus exoſa, contentioníſq; vanæ ac inutilis amans? Quid nõ magni illius recordaris Apoſtoli, qui Paradiſum vſq; & tertium cœlum raptus eſt, & verba quæ non licet eloqui hominibus, audiuit: & tamen eo vſque denuo progreſſus, contumeliæ loco non putauit, ſuis ipſius

113

manibus coriaceam artem exercere & ſuis ac ſociorum neceſsitatibus inſeruiendo ſubuenire. Oratione ſupergrediamur ipſum Paulum, & eius tertium cœlum, num deus in ſuo ſtatu ſemper cõſiſtens ad ſeſe reflecti tur, & ſupra hãc vniuerſitatem erectus ſedet? vtrúmne rerum quæ poſt eum ſubiacent nulla cura, nulla prouidentia tangitur, neque etiam infimarum rerum noſtrarum procurationẽ habet? an verò adcurans prouidẽter, de ſua ipſius ob id dignitate & gloria quicquam amittit? Quonam igitur modo corpori coniugata mens curam congeniti corporis, indignum ſe ſtudium reputat, & hanc rebus ſecundis prouidentẽ ſolertiam repudiat, ſupra vos efferens ſeſe, quorum etiamnũ humi gradientium conuerſatio in cœlis eſt? ſupra iam cœlum corporibus appetentes apoſtolos: ſupra bonitatis ipſius exemplar illud, quod omni carni largitur alimẽtum: cuius ex ſimilitudine nobilitatem magnifice iactans, non ſimiliter ad inferiorum dignitate prouidentiam cõuertitur. & tamen ſummum illud bonum pluſquam plenum & nullius omnino indigens, nullius opus vſquã habet eorum quibus prouidet: hæc verò ſæpenumero me & vt inſtrumẽto famulari eget, & vt adiuuãte cauſa ac adminiculo, & quo abſente nihil generoſum in primis perficiet. Sed fortaſsis ab his rationibus repreſſa, ſe non iniuriam dicet ex neceſſariarum mihi rerum ſuppeditatione paſſam, ſed quòd longe ſupra neceſsitatem & vſum partim inſatiabili cupiditate, partim voluptatis auiditate progreſſum, hanc mecum corripiam, & inuitam prę

cipitem. hoc enim fere dicebat, quando se voluptatibus absurdis mancipari, & meis decipi præstigijs asseuerabat. Id vero refutare quoq; facile est, ac docere audáxne facinus & temerariũ sit, ita siue fastu, siue contendendi studio incitatam, ea in me accusare se nescire, quorũ ipsa rea sit. Cum oportuisset integere, hæc: sed infaustũ nihil dicam. admiratione vero dignum est, quî fiat vt sibi cõtraria loquatur imprudens. Nũquid nõ sursum deorsũ versans orationem, Christi famuli iudices, primariam dignitatem prætendebat, quod imago diuina atque totius ratione carẽtis naturæ regina esset, ac me famulum, se dominam nũcupabat? Quonam igitur modo de repente facta mutatione, sursum versus flumina procedũt fontes, ac ostendere conatur me velutí ducere ac circũducere imperiosius, se autem vt mancipiũ agi ferriq;? & quicquid criminis ambobus delinquitur, id ad me vt auctorem primũ reijcit? Quod si ipsa imperat, ego pareo, quantæ impudentiæ est alteri sui delicti & peccati notam inurere? Roganti enim mihi respondé, ô reprehendendi & accusandi libidine flagrans, túne à domino constituta es quæ conseruo mutuum præstes obsequiũ, quod est in euãgelica parabola, quasi fidelis & prudens administra familiæ, vt des escam in tempore? quî fit igitur vt non fideliter & prudenter assignatum munus administres, desq; tempore & modo cibum, & vt fidelis increpes infidele, vt prudens castiges & emẽdes imprudens, & omnino potestatẽ in tibi credita administratione liberã exerceas, & ornes optime? At te corripi

violẽtia tibi ſubditi dicis,& ad caſdẽ ad quas ipſum ineptias te tranſuersã agi. Talibús ne prætextibus cenſes te, quã malè ſuum munus obeunti minatus eſt ille mẽbrorũ diuulſionem,euaſurã? Atqui talis opinio vana eſt & inanis. à principatu enim omni eorũ quę ſubditi peccãt pœnæ exigũtur,ſiue imperatorem,ſiue pędagogũ, ſiue parentem,ſiue doctorem dicas. etſi alioqui probi ſint,eorundem criminum rei ſunt, vt ſi vel imperator cum exercitu deſerat aciem,aut pędagogus cum puero colludat,aut pater cum liberis laſciuiat,aut cum diſcipulo magiſter inertiæ & ocio indulgeat, duplici pœna, cenſeo, horum vnuſquiſque punietur: altera, quòd clanculum eum corrumpat, quem potius ſe meliorem redditurum pollicebatur:altera, quòd eorundem reus quorum ille deprehendatur:vt vice verſa duplici venia digni ſubditi cenſeri debent apud eos qui plus ſummo iure quàm clementer rem diiudicant: altera,propter eorum naturam quæ ſemper ducem & ad honeſtatẽ promouentem requirit:altera,quòd quem ad bonũ præfectum acceperat,in contrarium deprauantem & prouocantem inuenit. Nihil verò tam ad virtutem & vitium allicit,quàm princeps ea faciens quæ ad alterutrum exhortantur, & exemplo ſuo ad ſimilia perpetranda trahens:quemadmodum & chara mihi mens duplices dabit pœnas,vt quæ neque quod in homine fuerit inordinatum correxerit,quæque collætata fuerit,& voluptatis illecebras ſimul excitarit. Si verò ſuffocat aqua, aiunt, quid opus eſt adbibere?Mihi autem fortaſsis venia quę-

piam dabitur,quod heram consequar, quæ vt ista delin quam me doceat. Qualis enim,aiũt,hera, talis & canis. Vt autẽ clarius demonstratũ sit,quod à me nõ ipsa cor ripiatur ad turpissima quęq;, sed ipsa magis voluptates abripiat,méq; secũ pertrahat,me quæso patienter audia tis,ab orationis cursu paulùm digredientẽ,& ad tragœ diarum omnium causam,quam explicare mens erube-scit,recurrentem. Non synceram,viri iudices,intelligen tem vitam, & à corporeo consensu ablegatam noster animus sortitus est,sed vtrique vitæ ei subiectę insidet, tum plantariæ, tum vitali, à quibus constitutio nostra corporea gubernata conseruatur. Nam dolore & volu-ptate quasi gubernaculo temperamur:dolore, cùm ina nitate laboramus,aut aliter angimur:voluptate,cum ex-plemur,& nulla perturbatione vexamur,ex opificis na-turæ prouidentia,affectionibus eiusmodi nobis ad salu tem ingeneratis. si enim dum defluimus & corrumpi-mur,non angeremur, neque dum satiamur lætaremur, ita vt neque conficientia,neq; conseruantia sentiremus, subito periremus imprudentia. Nunc vero prouida na-tura quasi manibus duabus vtens,fatigatione atque de-lectatione,illa pungens,hac inescans, ad edendum & bibendum exuscitat fugientes esuriendi dolorem,& e-dendi voluptatem,quod est alimentum,persequentes: verum primario loco,vt qui ex esurie mœror, nascitur, amoueatur:secundario,vt saturandi licentia detur. Ani mus autem rationis cõpos aliter se nutrire per se nouit, & præstantiori quadam ambrosia frui: verum cùm, vt

diximus, erga ſibi ſubiectas facultates non intoleranter,nec implacabiliter affectum ſit, conſenſu quodam etiam ijs patientibus condoleſcit,& ſane cum anguntur ſimul angitur,& cum lætantur collætatur:vel potius, ſi rem accuratius definire placet,& vt aiunt artis medicinæ ſtudioſi, primum ipſa rationis conſenſione patitur. propterea & prima ad amouendum dolorem exurgit, ſui cauſa maxime:deinde,vt eſt dictum,ſubditorum iuuandorum gratia.In eo igitur ſapientis naturę prouidẽtia fuit,ne maxime principalis animus, ſupra malà poſitus emineret impatibilis,& ſenſibus nullas difficultates quę ſecũdis & inferioribus interueniũt,hauriret.ad eorum enim nulla prorſus curanda conuerteretur.Si enim ita ſtimulata,condoleſcens,& conſenſu laborans, videtis quomodo pigreſcat,delicias faciat,& quę reuera cõmunis eſt fortuna,vt infortuniũ deploret,multominus profecto corpus reſpexiſſet, ſi corporis aduerſitates eã naturę decreto non attigiſſent.Nunc vero,ſiquidem aliud quippiam,& hoc quoque cõſtitutum eſt optimè, vt conſenſione dolorum angatur, & eõ ſimul adducatur,vt,quemadmodum ait quiſpiam,viciſsim & ex parte labores capeſsat,& moleſtiarum liberationem communiter cõquirat.Quibus enim quorumlibet incõmodorum communio eſt, ijſdẽ cõmuniter & ab ijs liberatio curę eſt.His ita demonſtratis,in eundem locum iterum recidit oratio:ac ſuperius expoſitę memores eſtote parabolę,in qua fidelem & prudentem diſpenſatorem ſuum dominus conſtituit,vt ſibi obſequatur,dando ſuo

tempore cibo. nunquid nō ad animi partē rationis participem accommodatè fidelem & prudentem œconomum ássumpsimus, vt quæ pręclare posit exabūdanti prudentia gubernare patibilem & amentem vitam? quam etiam in eo munere constitutam dominus beatam prędicat, si prudēter & fideliter administret: ac plura se cōmissurum eius fidei pollicetur. sin autem domini vt moram facientis oblita, conseruos pulsare contumelioſe, non prouidenter, cœperit, totámque se comedendo ac bibendo fruendis voluptatibus dediderit, cū ebriosis, partes dico tum quę alere, tum quę ali possūt, quæ extrinsecus allapsis satietatibus semper referciūtur, vtrúmne, cum redierit dominus, qualia nunc coram vobis, prtę exet, ac huius insolentis contumeliæ causam in nos transferens, quasi decipiamus & eô vi corripiamus, peruersi serui supplicia defugiet? nonne discerpetur, & sors ei cum hypocritis constituetur, vt quæ tanquam in theatro, hac vita, personam cuiusdam matronæ sanctæ & diuinæ induta fuerit, & omnem incuriam ac dementiam initio dissimularit: liberè verò omnibus nefādis voluptatibus seruierit, & vt intemperans ancilla, indecorè se gesserit & turpius inebriarit? quod puto. Nam ei cunctis facultatibus præfectæ hæc cura demandata est, vt & sagaciter molestiam exhibentia prouideret, & idoneam medicinam adhiberet, vt illinc perspicuū est. siquando enim mens in curandis rebus diuinis excessu nimio, vel, me nescio, morbo corripiatur, qui cogitationis non mouēdas chordas moueat, nec esuriei, nec alimenti

menti, nec alîus voluptatis memor sit, tum ego quoque nulla harum rerum cura, nulla sollicitudine tãgor. quonam igitur modo primas ego partes teneo, & procurandi, & dandi cibos, & tempus eorum ac modum definiẽdi munus sortiẽtis voluptates prępripio, deindéque ipsam, quod est magis ridiculum, ad eas corripio? Ita mollis ipsa est & delicata, ego verò robustum ac violentum. Verum enim verò ne singulis partibus renitens defensio contentiosa videatur & pertinax, tua gratia cõcedo me primum voluptatibus inhiare & compleri: insuper te quoq; ad voluptates fruendas à me corripi: tu postea domina, & rebus nostris imperans, cum oporteret puniendo cohibere, & infensam esse liguritioni, vehementiúsque increpare, potius ad eandem turpitudinem suscipiendam vt mancipium vnà prouolueris, & illa graui, sancta rigidáque dignitate humi prostrata, de qua gloriaris & magnifice sentis, mecum voluptati captiua seruáque voluntaria constringeris. Nec te pudet pati profitentem eadem, quæ fabulosus ille serpens, cuius caudam aiunt de capite conquestam esse, quod motionis reptitiæ dux semper esset, ipsa totius molis se conuoluentis attraheretur extrema. Tandem verò ad persuadendũ aggressam, vt in hoc serpendi munere principatus sibi deferretur: deinde per pręcipitia saxáque cum cœca ferretur, ipsum caput & reliquum serpẽtem cum eo labefactatũ fuisse. At quemadmodum illic, siquidem de cauda caput conquestum fuisset, eam accusans iniuriæ, ridiculũ

& ſtolidum videretur : ita etiam tu quoq; in hac cauſa, vt quæ animi parti rationis experti, caudam trahenti & cœcæ (Nam mens, ait quiſpiam, videt) ductandi cedas imperium, & te ipſam eius fidei committas quod ad perniciem pertrahat. Vidētes enim cœcorum, non cœci videntium duces ſunt: & bos currum, non bouē currus trahit, & lapis ad perpendiculū dirigitur, nō perpendiculum ad lapidem componitur. Quid verò puero, cō tra prouerbij præceptum, gladium committis? quis venenum propinatum combibens, maius quippiam ad ſe vel excuſandum, vel defendendum habuit, quàm mortis deprecationem? An primus homo à muliere prima quæ de pernicioſa guſtauerat arbore, poſterior accepto cibo comedens, veniam apud deum meritus eſt: aut vt vi correptus, mortem effugit? Cupiditas enim & ira ſub animum rationis participē ſubiectæ ſunt: non vt ad voluptatis ſuauitatem illa delabens, ſecum ipſam cōtrahat: hęc verò ad ferinā fæuitiam erumpens, ſecum abducat: ſed vt ad captandam & habendā honeſtatē conueniant & conſpirent: cupiditas, vt æquus frænis bene moderatus, ſublimē efferēs, & ad verè deſyderabilia cōcitans: ira, veluti generoſus canis, vnà pro ijs & aduerſus ea quæ oportet belligerans & propugnans: vtraque nimirum à ratione per diuturnam conſuetudinem ad bene parendum & obediendum domita atque cicurata. Verum mens alioqui temulenta facta, & valde ſuæ ſtrenuitatis negligēs, effœminatur quaſi vecors, & deteritur, ac quā tum à conſtanti immobilique concentu decedit, tantū

dem ad currum perturbationum accedit: quantúmque paulatim ab imperando desciscit, tantum illa seruituti mancipatur. Itaque nulla vi cogitur, nec ad peccandum & delinquendum inuita rapitur: sed quod Herculem passum fuisse fecisséque Græci ac prophani scriptores testantur (Ferunt enim illum post beluas & sceleratos homines perdomitos, postea uolentem Lydæ fœminæ Omphalę nomine, seruijsse) idem mihi videtur mentis ratio perpeti. Nam quæ sunt in homine beluinæ malignæque perturbationes, cum eas sub suam potestatem subijcere posset, lubens tamen voluptati animíq; appetitionibus seruit: vel etiam vt alter primas, magnus ille, Sampson ab insidiatrice muliercula, eadem voluptate decepta, suum magnum robur ridiculè prodit, & nuda, ac non iam ipsum veluti cómam iactans, facile à perturbationibus alienigenis captiua ducitur, & excœcatur oculis ad honestas res & bonas perspicacibus, pistrinóq; illigatur, & circum eundem voluptatũ orbem, quorum initium est & veluti stimulus ventris ingluuies, innumeras ærumnas perpetiens cõuoluitur, & quasi lasciuis pueris, cupiditati & iracundiæ ludibrio est. Ita mens sponte se malis immergens, ipsa sibi omne contumeliæ genus intorquet, & vndique cooperta miserijs, indecorè lasciuit: deinde ob hoc voluntarium infortunium de se conquestu, suaque deploratione calamitatis defuncta, mihi crimen intentat, & malorum causam attribuit, &, vt videtis, pœnas exigit: ac cõuitijs aspergens, quid non in me cauillatur? quid non irridet?

ſepulchrum me vocat, catenam, fæcem imã, & ex Chaldaicis nugis, materiæ ſordes & quiſquilias, dolium pertuſum, crucem. Atqui ſi verè ſum ego monumentum, quî fit vt non hanc perſuadeam ad dei ſimilitudinem effictã, mortem ſtudioſe meditari, ſed ad delicias, quod ait, pertraham? ſi catena, quî fit vt non comprimens à peccando cohibeam, ſed ad nefandam inertiæ licentiã corripiam? Quæ catena non arcet ab iniuria & maleficio, ſed eò vinctum vel inuitum compellit? Quod monumentum non membra quæ ſunt ſuper terram mortificat, & animæ vitam omni ex parte beatam largitur, ſed potius viuificat & aduerſus animam exuſcitat? Aut igitur ego neque ſepulchrum, neque catena ſum, ſiquidem ad delicias corripio, & vna pertrahor: inconſiderate & inaniter talibus cauillis illudor: aut monumentũ re vera & catena ſim, ac magnæ hinc incõtinentię ſe ipſam mens ream facit, quod & illigata mihi, & cõſepulta delicietur, & viuens mortua ſit. ac ſupra modũ extollitur, tametſi crux ego ſim ei data. hoc enim nomine me quoque lubens appellat, vt etiam doliũ pertuſum, diſsimulãs quot & quantorum bonorũ ego ſim cõceptaculum, vt non multo poſt de multis pauca deguſtãs ſum demonſtraturum. Si verò pertuſum quoque ſum, at certe ſenſuum meatibus omnino ſpecularibus, luciferis & nuncijs cõprehenſionis rerum, vt id etiam ſtatim apparebit, q̃ per hos hauriens & ſeſe referciens in me veluti temulentię priſtinę vomitum effundat, & turpiſſime debacchetur. Tu meos ſenſus, & eorum faculta-

tes maledictis vexas, ſpeluncas & luſtra ferina cognominans, quorum opera maximis affecta beneficijs ita ingrato & immemori animo es? nonne diſcendi artibus tanquam pontibus, vt ad res contemplandas quæ ſub intelligentiam duntaxat cadunt traijciaris, vſa es? Quonã pacto eas initio ſine meis ſenſibus comparaſſes? Arithmeticã ne aut harmonicam diſciplinam habuiſſes vnquã, niſi auris extitiſſet? an numerorum proportiones, aut geometriam, aut aſtrologiam, niſi lumẽ oculorum eluxiſſet? an doctrinam de pulſibus & medendi ſcientiam, niſi tangendi & guſtandi ſenſus tibi viam patefeciſſet? meis igitur ſenſibus ablatis, tuis cõuulſis põtibus, quid tibi reliquum aliud ſuperſit, quàm humi, & inter res ſenſiles volutari, vel ne has quidem in totum attĩgere, neque quãtum terræ meditullium eſt, vitã ſentiendi cõpote frui, ſed ſola ſi res ita ferat, plãtaria: & tum verè ſub monumentum carcerẽq; cœcum defoſſa, materiæ ſordibus ſubmerſa, & profundæ illigata fæci, cœcam talpæ aut cuiuſpiam plantanimis vitã trahas, me ſolùm vt ipſa comicè perſtringis, oſtreato indumento circundata? Nunc verò te certè cœcutientẽ ab ortu ad cognoſcendum oculatam feci, ad philoſophiam admoui, & deguſtato lumine, per ipſum vt terræ concretionẽ, maris fuſionem, cœli conglobationem, & omnia quę ſunt in cœlo miracula tanquam in ſpeculo intuereris conceſſi: vtque partibus omnibus cõcordem concentum qui ineffabilibus ſonis opificem proclamat, exaudieris, & ex rerum creatarum magnitudine, pulchritudine, con-

cinna motione, mouens illud immobile, & primum & ipsissimum bonum informaui, & ad cuius exemplaris primarij imaginem facta fueris, memoriam renouaui. Atqui hoc præclarius quid mẽti possit accidere, quàm ex ijs quæ meis sensibus hauriũtur, deum reperire? Nec solum ita per me primùm ad deum ascendit, sed etiam à deo delabens, eò per me rursum redit. Nã per me pœnitendi & veniam impetrandi locum inuenit. si enim à me disiuncta & extra corpus fuerit, ne pœnitere quidẽ peccati primùm potuerit, vt neque qui deciderunt angeli: nunc verò mea coniugatio hoc quoque bonum ei largita est. Quantas enim & quot cunque turpitudines asperserit, eæ meis sudoribus eluuntur, & niue eã didius clarificãtur. nam supra herbam omnẽ abluentiũ, & præter hyssopi quãuis aspersionẽ extat ea quę defluit è meis, vt ipsa dixerit, speluncis, vt ego, fontibus pelluci - dis, lachryma, inedia, humi cubitus prędurus, flexis genibus deprecatio, in precibus defixa immobiliter constantérque intentio, pectoris percussio, è pectore prodiens grauis fumus, interioris inflammationis indiciũ. aliáque ex quibus multipotens pœnitendi miscetur medicamentum. Tot numero bonorum noui recondere thesauros ego, ex mentis meę sententia pertusum, & nihil continẽs dolium. Sed inepte fortasis & præter decorum apud vos quibus talia trita sunt, singula dicẽdo persequor: itaque summatim & paucis ostendẽdum, quòd quę mihi à mente vitio verruntur, ea potius passa sim q̃ fecerim: quę autem facio natura duce, quæque cõficio

119

hæc ſunt. Philoſophia enim per quam ad deum attollimur, in contemplationem & actionem ſecta, ſiquidem cõtemplatricem ea vitã amplexetur, per me naturæ opera perſpicit, & per diſciplinarũ pontes ad eas res quæ ratione intelliguntur tranſmittitur, & poſtremò, quod aiunt, ad ipſum theologiæ limen volando conquieſcit: ſin præ contemplandi pontibus, agendi ſcalam malit, hîc etiam magis me laboribus proprijs ædificans omnes actionum gradus inuenit. Dicam, quod omnibus eminet, per me ab angelis paululum diminutus homo, multum ſupra angelos excelluit (quis enim angelorum poſsit quæ deus paſſus eſt, & vt homo mortem imitari potuit?) per me vtique, cæſum, tortum, laniatum, & poſtremò morti traditum, & diuino corpori ſeruatoris conformatum: in quo & peccatum condemnauit, vt in nobis dei iuſtitia compleretur. Quoniam autẽ & mens ſciſcitatur ex me, quando quáq; ætate ſibi ſubiectũ eſſe poſsim, ego nihil cunctatũ ita ſimpliciter reſpondebo, Ecquando non poſsũ, quáq; ætate ſum inobſequens, quocunque ipſa ſiue bonum, ſiue prauum ſit, me ducendo vocet? vt ex artibus perſpicue liquet. Nactum literarum ſtudioſam & amantem honeſtatis mẽtem, pædagogos ſequor, magiſtris pareo, in ſcholis & auditorijs aſsideo, & de liberalibus diſciplinis & doctrinis quid inculcatum non exprimo? rurſus ſum ego mentem exercendis artibus illiberalibus aptam ſortitum? doceor iterũ ædificare, aut lapidibus ſtruere, aut ſtans ſubiectis incudibus obſtrepentibus fabricare: aut guttulis à

terra exudantibus collectis ſtagna conficere, aut contra ſæuos ventos, & furentes fluctus obluctari. nonnũquã etiam in profundum deorſum verſo capite, natans feror, & militariter diſiectũ & ſciſſum ictibus omnibus obſto, ne, dicã ad quas exercendas artes vanas & inanes vi coactũ inſtituor, quum præſtigiatoribus execrandis ſubijcior, doceórq; funem ſublimem extremis pedibus ſcandere & ambulare, ſubiectis pugionibus tripudiare, capite demiſſo ſalire, lapillos & ferri particulas deuorare: atq; rerum ita difficilium atq; miſerabilium, & alioqui operoſarũquã non à puero exercitatione conficio? vigentem attingens ætatem me pertinax & ambitioſum præſto: eam excedens ætatem, nihilo minori conatu elaboro: corroboratũ & ſeneſcens, addiſcere nõ ceſſo etiam quod excogitatu ſapientius ſit quàm quæ iuuenes moliũtur: & vt in vniuerſum dicam, nihil eſt quod arte parari, quotl doctrina tradi poſsit, ad quod nõ adducar, nihil factis, nihil dictis menti volenti repugnans, vt neque animantium ſubiugalium & inanimatorum inſtrumentorum obſequentiſsima quæque. An etiam ad obeunda virtutis munia, illis longe iucundiora, facilia, naturæ congruentia, ineptum & aduerſarium, & veluti repugnans, ſeditiosũ, hoſtiliter ſum affectum? At id tibi dicenti non crederent egregii victores illi martyres & hi iudices virtutum cultores: qui corporum certaminibus, incorporeorum naturas exuperarunt. Verùm tempus eſt, vt eorum quæ diximus ſumma capita recẽſcamus, & opportuniora congruentioráque percurramus.

mus. Accusatrix mea mens conuicta est, nihil sani vitio vertere: sed frustrà insurgere mihi, & quæ inculpata sunt accusandi studio & calumnioſe, quæq; mihi permittũtur à natura, culpare. Defensione mea comproba ui, nullã aut iniuriam aut contumeliam me dominæ famulũ, imperatrici obsequens, instrumentũ ei quæ suo me arbitrio vtatur, inferre potuisse: sed ipsã potius sua socordia torpescentẽ, & imbecillitate mollescentẽ, malam euadere: & cum oportuisset integere, hãc etiam pœnas exigere. O calamitosum & miserũ me: quis parcet? quis miserebitur? quum etiam cognata mens & mecũ coniugata non miseretur, neque meis afflictationibus referta satietur: sed præter ea quæ nunc patior, & in posterũ patiar eius opera, insuper aliud recentius excogitat, inquisitiones, lites & contentiones, tribunalia, diros tortores: quasi non ea quæ miserũ patior ipsa peccante sufficiãt. Dei æqualitatẽ fastosa cõcupiuit, & statim ego mortalitate sum interceptum, & ad puluerem matrem reuersurũ: ne quę mediç interueniunt calamitates & obscœnitates memorem, nuditatem, ficulnea velamenta, & coriacea indumenta, aculeatarum spinarum & tribulorum acies. Inuidia rursus conflagrauit, & mihi tabe liquefactus vultus concidit: vbi verò fratrem exosa fratrẽ est ausa trucidare, ego statim tremulum & queribundũ ac impositio signo notatum & conuictum vagabar. Impegit mens in legislationem, vel prophetiam, vel sacerdotij dignitatem, & mihi maledicentiæ supplicia firmiter inhibentur, ac statim leprosum efficior. Ipsa angelo

fausta nũcianti diffidit,& mea lingua silẽtio cõpeditur. hæc astu fœminę malæ decepta est,& ego excœcor,& in pistrinum detrudor.In pauca multa contraham : aut sum cum mente colligatũ humili ac illiberali, & nocte diéque sustineo continuos labores,ad quotidianum cibum eúmque parcum & tenuem,ad lænam,vel substrictam quandam & breuem tunicam,vel tegẽdis humeris penulam comparandam:aut cum vitam voluptuosam amplexante,& multo deterioribus malis affligor, dũ singulis horis inexplebiliter in ventrem infercior,& immodicis cibis,potibus,rebusvenereis distendor &rũpor : hincque quot morborum agminibus obluctor? aut enim ad lectum decumbẽs, aut vt attonita quędam ruina langueſco,aut febre colliqueſco, aut articularibus morbis pedum & manuum torqueor:tum & carnificibus medicis mercenarijs curandum medicamentis, & laniandum,nonnunquam etiam tortoribus inhumanis dæmonibus, exponor . Mecum hanc vitiorum tragœdiam agat ille vocalissimus Apostolus, quæ , mente omnes habenas & fræna laxante, in me peccando conferunt scortatores immanes, & quotquot contra naturales vsus accenduntur , vt me ignominia notent insolenti : quóque modo pessime corrumpendi,me templum dei corrumpunt, meáque membra quæ sunt Christi membra , scortorum membra faciunt. Cæterum non his mens nullorum non malorum memor contenta est,sed vos supplex rogat & obtestatur , vt sibi licentiam detis vtendi me suo arbitrio , torquendi,

fame necandi, in exitium Satanæ tradendi. Neſcit enim ſapiens, ſe plane deſipientem in ea incidere quæ ſunt in prouerbio, Capram ferre non poſſum, mihi bouem imponite. Nam ſi quæ in nobis ex inordinata materia ægritudines adnaſcuntur, eas vt decet philoſophũ non fert, ſed indignatur, & grauia ſe pati cenſet, quid non eſſet paſſa, ſi mecum ira diuina calamitates illatas accepiſſet? ita faſtu inflata ſuperbit. Verùm hęc ex veſtro dependẽt arbitrio, & quicquid viſum vobis fuerit, in eo tanquam in diuina ſententia, tum quæ facienda, tum quæ non facienda ſint definiente, nos quoque acquieſcemus.

IVDICVM SENTENTIA.

VEſtras vtriuſque viciſsim cum orationes audiuerimus, tuam, mens rationis particeps, quod tibi ſubditum eſt & intẽperatũ vt inobediens accuſantis: tuam rurſus, pars animi ratione carens, defendẽtis te nihil delinquere, vt animus intelligens temere calumniatur: nobis autem de veſtris vtriuſque orationibus arbitria facienda ſint, & cõtrouerſię ſedandę, ne fruſtra noſtrã & contemplandi ſtudio deditam vitã interruperimus, hic ſedentes, iam dicimus quæ ex longis experimentis, & à diuinis ſcripturis accurate didicimus. Hanc itaque ſententiam ferimus: Si carnis ſenſum, ô mens, accuſes, vt rebus honeſtis ac virtuti conſentaneis aduerſarium, & tibi obediendi impotem, imprudens in Manichæorum opinionem delaberis. exiſtimarunt enim execrandi illi, intelligentem ar-

opificium esse boni, rationis expertem, mali: & idcirco neque virtutem capessere, aut grata & opificio bono cõuenientia sentire posse. Sin ipsa hoc non ais, sed effrenẽ & obsequentem eius intemperantiã accusas, vt ne teipsam quasi nõ insipienter modereris, sed diuino tibi munere concessum administrũ perpetuo criminareris, culpas quod merito culpandũ non est. An non imperator, doctor, magister cuiuscunque is fuerit, ipsi rationẽ reddunt, & pœnas luunt eorum quæ qui ab ipsis ducũtur, magistrorum incuria atque negligentia peccant? Id ne sapientes quidem exteros latuit: siquidem philosophorum apud illos quidam, adolescentem conspicatus lasciuientem & flagitiosum, nullum in eum maledictum contulit, sed pędagogũ percussit, inquiens, Quid enim talia doces? Sin autem dicas, magnum illum Paulum, in epistola quam ad Romanos scripsit, carnem accusare, audi quid velit, & ad quid hæc Apostolus loquatur. Nã ante Domini aduẽtum & mors terribilis erat, terribilis & mortis imperium habens: propterea & apud Esaiam aiebant, Edamus & bibamus. cras enim morimur.

ANIMADVERTENDA QVAEDAM in exemplari Græco.

Pag 4, lege παρ' ὑμῶν 5, καὶ δή, alias, καὶ ἡ ἐκπαίη δι' ἀσυνε 12 δεῦ, lege μετὰ δ' οὐσίας 20 αὐτῶμαι, leg. σφεζῶν π 31 τ' ἀχλ. Videtur legendum, σωα σφαπόϊζ δαι 35 βίαιον, videnum legendum δουλίω 37 δαμαζ. leg. ψυχὴ μεθύμων ἄγως γουδύη 40 ἰχω, leg. ἡ δυσκολόκαιτος

Parisiijs excudebat Guilielmus Morelius
M.D. LIII. Non. Octobr.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE